



Caspars Villingæ Sueuorum natus, anno cir
citer 1477. Is cum in patria prima literarū fun
damēta iecisset, ad Etonis monasterium peruenit,
& ibidem pietati & literis operā dedit. In eo loco
cum latere cuperet, preter expectationē anno 1524
Mauri monasterij haud procul Tabernis Alsatiæ
abbas eligitur. Monasterium illud anno 583 inchoa
tum, Childebertus rex Francorū plurimū auxit,
atq; Marcham Aquileiensem Leopardo primo ab
bati, pro salute (ut uerbis in Diplomate antiquissi
mo lectis utar) animę suę ac regni stabilitate, ad cō
struendum in ea Ecclesiam, in honorem beati Mar
tini, iure proprietario cōtradidit, quod postmodū

Theodoricus filius prædicti regis ad petitionem D. Mauri abbatis autoritate
regia confirmauit. Ludouicus deinde Pius Imperator, anno 828, Celso abbate
existente, alia bona adiecit, & quęād priuilegia monasterio cōcessit. Ergo Ca
sparus eā Abbatia ordine 3; suscepit, & omnia cōmodē disponere statuit. Ve
rūm in ipso statim administrationis exordio, procellarum instar, rusticorū fu
rores eum exceperunt, qui ipsum æquas cōditiones offerentem expulerūt, &
monasterium destruxerunt, quæ quidem patienter tulit, et feliciorem occasio
nem expectauit. Cum autem seditioni puniti, & pax Germaniæ restituta esset,
ipse rediit, & pro captiuis hinc inde intercessit. Monasterium deinde edificijs
reparauit, atq; paulatim sua frugalitate & alienum soluit. Cum finitimis etiam
pacem coluit, & de omnibus bene mereri exoptauit. Is tandem anno 1557 iam
quasi octogenarius obiit, & in suo monasterio sepultus quiescit. Casp.

Brutsch. de monasterijs Germaniæ.